



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 115. Aliæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

S. CXV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.*Alice ejusdem Pontificis Constitu-
tiones.*

Hoc anno idem Gregorius Papa alias *Bull. Const.*
edidit Constitutiones, quarum *85. & seq.*
prima præscripsit formam promulgan- *p. 505.*
di resignationes beneficiorum Ecclesia-
sticorum tam in Curia Romana, quam
alibi factas, hancque in rem voluit, ut
omnes resignationes, & jurium concessio-
nes publicari debeant intra sex menses, si
beneficia sint citra montes, si vero ultra,
intra novem.

Altera Constitutione Camaldulen-
sium Generali concessit, ut hic possit,
quando sibi expedire videtur, conferre Ere-
mitis sibi in eremo subjectis, quatuor or-
dines minores, simulque Cardinales Episco-
pi ad dictam eremum accedentes possint,
etiam extra tempora, & non servatis inter-
stitiis, sacros Ordines eisdem conferre, si
ipsi huic Præposito idonei videntur.

Tertio diplomate egit de quibusdam
privilegiis, quæ Mercatoribus Ripæ
urbis indulta fuere: porro quarto,
quod die vigesima quinta edidit, rur-
sus approbat institutum, ac Constitu-
tiones Societatis Jesu, cunctaque eo-
rum privilegia confirmat, præcipue
vero ibidem affirmat, quod illi, qui ab-
soluto probationis biennio prædicta tria sub-

O 3

stantialia

Sæcul. XVI. *stantialia vota etiam simplicia emiserint, si
A.C. 1584. absque expressa licentia a Societate disce-
dant, etiamsi prætextu melioris frugis, &
transitus ad alium quemcunque ordinem
(Cartusensium duntaxat excepto) id fa-
ciant, apostasice, & excommunicationis
ex Apostolicæ Sedis decreto pœnas incur-
rant, a quibus nonnisi a summo Pontifice,
vel a Generali Præposito absolvi possint.*

Eadem Constitutione sub anathe-
matis pœna prohibet, ne quis hoc in-
stitutum impugnare, aggredi, aut dif-
famare audeat. Quarto diplomate idem
Pontifex die vigesima quinta Maji præ-
cepit, ut quolibet triennio fieret ele-
ctio Præpositi Generalis, & aliorum
Prælatorum Congregationis Monacho-
rum Eremitarum S. Hieronymi de ob-
servantia. Die decima septima Junii
Papa quinto diplomate præcepit, ut
Romæ instituatur Collegium ad Scho-
lares nationis Maronitarum pie, & ca-
tholice, bonis artibus, christianisque
moribus, & doctrina instruendos, &
deputatio Cardinalis pro ejus regimine,
annuorumque reddituum assignatio pro
eorundem sustentatione fiat: insuper
hac Constitutione hisce Maronitis præ-
ter ampla privilegia concessit Pontifex,
ut divinum Officium, Missamque in Ara-
bico, seu Caldaico idiomate celebrare
valeant. Sexto diplomate die prima
Septem-

Septembris promulgato Pontifex Episcopis injunxit, ut Verbum Dei prædicent semel in Hebdomada Hebræis, pro eorum ad Christi fidem conversione in terris, & locis, in quibus extant eorum Synagogæ.

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

Eodem Mense Septembri alia edebatur Constitutio, qua Pontifex innovabat Constitutionem Nicolai III. contra jurantes, & jurare facientes illicita, impossibilia, damnosa, & Ecclesiasticæ libertati, ac decretis Concilii Tridentini adversantia: Die prima Octobris per aliam Bullam Papa præscripsit, qua ratione licite pecuniæ apud Montem Pietatis deponi valeant: nona autem Constitutione die vigesima Novembris idem Pontifex indulgit, ut Religiosi Societatis Clericorum Regularium Jesu, etiam sacris Ordinibus non initiati, verbum Dei prædicare possint.

Decima respicit! Cameram Apostolicam, atque undecima Mense Decembri edita confirmat erectionem Congregationis *B. V. Mariæ*, quæ pro externis Scholaribus, qui in Collegio Societatis Jesu de urbe studiis vacabant, fuit erecta ad pia opera exercenda: insuper dedit facultatem alias aggregandi Congregationes, quæ easdem cum illa indulgentias communicarent.

O A

Deni-

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

Denique postrema die septimo ejusdem Mensis Decembris promulgata est contra exules, & alios in Italia commorantes, qui animalia, & alia bona in Statu Ecclesiastico diripiunt, abducunt, recipiunt, vel permutant.

§. CXVI.

Anglicana conjuratio in Elisabetham Reginam.

*Cambden
ann. regn.
Elis.
Thur. l. 79.
Mem. de la
Ligue t. 1.
p. 11.*

Interim Elisabetha Angliæ Regina continuato furore Catholicos divexabat, qua inhumanitate hoc anno ingenti vitæ periculo sese exponebat: percipiamus autem rei gestæ seriem. Erat tum in Anglia Guilielmus Parrius Catholicus, natione Anglus inferioris Curiaë Senator, porro hic jam antea invicto erga Religionem Catholicam studio insignis, cum Parisiis ageret, cum Patre Wiat Jesuita conferebat circa animi sui propositum, quo Angliæ Regnum ad Ecclesiæ Romanæ obsequium reducere anhellabat: hic autem Jesuita, Vir acri ingenio præditus immaturi hujus consilii periculum eidem ob oculos ponere satagebat, allatisque multis exemplis demonstratum ibat, quod publicam tranquillitatem turbare, ac seditiones contra suum Principem suscitare, nunquam liceret, etiamsi de Religionem